

QUESTIO XI.

Quomodo malus Prælatus significatus in mercenario videt lupum venientem, & fugit, ac dimittit ovem?

78. **E**X his, quæ dicta sunt de bono pastore, ac dicentur in sequentibus de malo triplex inter eos apparet differentia. Et prima sumitur ex intentione, quod ex nomine ipsorum patet. Nam primus dicitur pastor, intendit enim pascere gregem. Ezech. 34. num. 2. *Nonne greges pascuntur à pastoribus?* Mercenarius autem pro proprio commo laborat mercedem quærens. Secunda differentia accipitur ex sollicitudine, ac affectu, quia de bono pastore dicitur, quod oves sue sunt, non solum possessione, sed etiam commissione, amore, & sollicitudine. Mercenarius verò nullam sollicitudinem gerit de ouibus, sed de suo lucro, ac commo: Apostoli autem, Apostolicique viri, licet non suas oves, sed Christi pascere, ab eoque spirituales mercedem receperint, tamen non fuerunt mercenarij, quia non sua temporalia, sed Christi fidelium spiritualia lucra quæserunt, eximioque affectu erga oves ferebantur, sese vt Christi vicarij, eiusque vicem gerentes præclare exhibentes. Charitas enim, qua Deus diligitur, facit, vt quæ Dei, & Christi sunt, tanquam propria reputentur, hinc factum est, vt ipsi pro ouibus animam suam pofuerint. Sic dicebat Paulus ad Philip. 1. num. 7. *Eo quod habeam vos in corde.* Sicque Dauid cum pasceret oves patris sui obiciebat se leonibus, & vrsis, vt eas de eorum ore eriperet, 1. Regum 17. num. 34.

Differentia nominum. Ezech. 34.

Apostoli pastores, & non mercenarij.

Philip. 1.

1. Reg. 17. 79. Gregor.

In tempore aduersitatis, & non tranquillitatis declinat in amorem.

80. Angult.

Toler.

Matth. 10.

Tertia differentia desumitur ex D. Gregorio homil. 14. in Euangel. *Vtrum verus pastor sit, ait, vel mercenarius cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest: tranquillitatis enim tempore plerumque ad gregis custodiam verus pastor, sic etiam stat mercenarius; sed lupus veniens indicat, quo quis animo super gregis custodiam stabat.* Distinctio inter pastorem, & mercenarium maxime declarat ex ipsa temporis occasione; nam in tranquillitatis serenitate æquales videntur se habere ad gregem pastor, & mercenarius, ac vt gente periculi aduersitate, valde dispares sunt; nam pastor pro tuendis ouibus se se discrimini opponit, vt faciebat Dauid: *Veniebat leo, vel vrsus, &c.* citato 1. Regum num. 17. At mercenarius videt lupum venientem, & fugit, ac dimittit ovem. Vide verb. *Aduersitas*, hoc tom. 2. & 3.

Pro quaestione enodanda aduertendum est. Primò ex D. Augustino, quod lupus est diabolus. Secundò ex eodem Augustino lib. 2. contra Epistolam Gaudentij hæretici, cap. 8. aliquando licitum est Prælatis fugere, quando ait D. Augustinus fugit corpore, sed non animo, nec cura, nec prouidentia, vel etiam, vt ait Tolerus annotat. 10. quando quaeritur solus pastor, & non oues; tunc si pastor fugiat, in periculo non manent oues, in his, & similibus, si Prælati fugiunt, verè non fugiunt, nec sunt mercenarij, quod satis confirmatur ex Christi doctrina. *Si vos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam*, Matth. 10. sic & Paulus per murum dimissus est.

Ad quaestionem respondeo primò. Tunc malus Prælatus, vt mercenarius, videt lupum venientem, & dimittit oues, ac fugit, quando tempore persecutionis, vel necessitatis, relinquit, ac deserit oues; hanc enim absentiam pastorum, vt ait Diuus Ambrosius in cap. 10. Luc. Lupus explorat, vt gregem inuadat; nam absentia pastorum ruina est ouium. De quo si libet, videre poteris plura in hanc rem infra hoc capite, quaest. 14.

81. Ambros.

Secundò. D. Augustinus ferm. 49. de verbis Domini secundum Ioannem, vidit lupum venientem, & fugit. *Non fugit mercenarius, ait, corpore; non enim Ecclesiam deserit, aliòque abijt: sed fugit animo, quia cum presens sit corpore vitis medicinam non adhibet, ouiumq. mores non corrigit vigilanter.* Idem habet D. Gregorius homil. 14. Tunc iniquus Prælatus veluti mercenarius videt lupum, nempe diabolum venientem, & dimittit ovem, ac fugit, quando videt suum subditum à Satana multis peccatis periri, & ipse tanquam oscitans, ac dormiens negligenter se habet, medicamen non adhibet, occasiones non amouet, & supplicium non interponit, huiusmodi ignaui, ac desides Prælatis maxime arguuntur à D. Bernardo epistol. 178. ad Innocentium Papam, & à Petro Damiano epistol. 6. ad Nicolaum Pontificem, & à Petro Blesensi epistol. 5. Ignauia enim sua de aliorum delictis delinquentes fiunt.

82. August.

Gregor.

Prælatus, qui non punit delictum, illius sit reus. Bernard. Damian. Petr. Bles.

Ait Deus per Ieremiam: *Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine*, Ierem. 48. num. 10. Quomodo qui ab aliorum sanguine suum abstinere gladium, erat maledictus: Cum Christus Dominus dicat Petro: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matth. 26. num. 52. Quomam pacto hæc coherent inter se? Qui cum sit particularis, gladium accipit in proximum, gladio peribit; ac Prælatus, qui pollet communi, & publica auctoritate, si videt suum subditum delinquentem, & ignaui sua, eum non percutit, vt falce sua amputet pullulantia vitia, vt ait supra citatus Damianus, iste talis erit maledictus, ac peribit æterna, ac perenni maledictione. Petrus Damianus Opuscul. 17. cap. 2. *Maledictioni ait, obnoxij sunt, qui peccatoribus blandiuntur, sicut dicitur per Ieremiam. Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine, à sanguine quippe gladium suum prohibet, qui se ab inferenda reprobis digna sententia animaduersione coarctet.*

83. Ierem. 48.

Matth. 26.

Maledictus Prælatus, qui delinquentem non punit.

Damian.

Tertiò. Idem D. Augustinus citato ferm. 49. de verbis Domini: *Si viderit mercenarius, ait, alium peccare, aut sentire secundum perniciosam animam suam, & tamen quia videtur haberi alicuius momenti in Ecclesia, unde sibi sperat commoda, non reprehendit, mercenarius est. Et cum videt hominem perire in peccato, & videt illum lupum sequi, & videt illius guttur trahi morsu ad supplicium: non illi dicit, peccas, ne perdat commoda sua, hoc est ergo cum viderit lupum, fugit: non illi dicit scelerate facis, non corporis, sed anima, hæc est fuga: quem vides corpore stare, fugit animo, cum videt peccatorem, & non illi dicit, peccas.* Tunc mercenarius, seu iniquus Prælatus vidit lupum venientem ad denotandam ovem, quando vidit spiritum iniquum in suum subditum ingressum, eumque in multa, & turpia crimina præcipitare, & dimittit ovem, cum delinquentem non arguat, & reprehendat, eique sua peccata obiciat, vt emendetur, ob aliud quod suum commodum, & luctum, & tunc fugit, non

84. August.

Fugit mercenarius, cum delinquentem non reprehendit.

non quidem corpore, cum corpore sit presens, sed animo, cum id, quod conscientia, & animus dicat, non adimpleat.

85. Ezech. 3.

Hebræus.

Bonifacius.

Qui crimen non reprehendit, facit suum.

86.

Exod. 32.

Septuag.

In Aarone funditur culpa populi, quæ non reprehendit. August.

Ait Deus per Ezechielem cap. 3. num. 18. *Si dicente me ad impium: morte morieris: non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & vinat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Sermo est Domini ad Prophetas, ac Magistros Israel, quod si imperio delinquentem non annuntiauerint, seu vt est in Hebræo non repeterint arguendo, & increpando suam iniquitatem, vt ipse emendetur, ait Deus, quod impius peribit. *In iniquitate sua morietur.* Addit tamen, *Sanguinem eius de manu tua requiram.* Hoc est eius mortem in te vlciscar, tunc pro illa dabis penas. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus Apud Baron. tom. 9. anno Christi 740. *Si peccata sua non annuntiaueris, & si eum non argueris, vt conuertatur, & vinat: & requi non increpasti, & ipsum qui te tacente peccauit, flammis perennis tradam.* Cui enim dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vinat, & tamen perdit venientes arguere, aut erubescat, aut metuat, cum is omnibus, qui eo tacente perierint, condemnabitur; & quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato.

Cum Moyses descendisset de monte, ac conspexisset populum idolatrantem, ac vitulum adorantem, qui ex suis donis aureis fabricatus erat. Ait textus: *Videns Moyses populum, quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron*, Exod. 32. n. 25. Septuaginta legunt: *Videns quia populus dissipatus est, dissipauit enim eos Aaron.* Valde difficilis lectio, quomodo dici potest, quod Aaron in fabricatione vituli populum dissipauit, cum populo instante, ac postulante Deos mortis metu coactus eius votis concessit? Postus dicendum videbatur, quod populus, qui ex sua deprauata voluntate Deos postulauit, ipsemet se dissipauerit, ac disperferit. Sed Aaron qui mortis metu condescendit, quomodo dissipauerit? Erat Aaron Pontifex, ac populi pastor, & tenebatur iniquæ populi petitioni resistere, populumque arguere, ac increpare, vt à suo deprauato affectu retraheretur. Hæc omisso, ac ignaui in causa est, vt non populus, qui postulauit, sed Aaron qui non reprehendit, dicatur dissipator, totumque delictum in ipsum refundatur. D. Augustinus quaest. 146. in Exod. *Notandum, ait, quemadmodum illud coram, quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quod eis concesserit ad faciendum, quod male petierant, magis enim dictum est, dissipauit eos Aaron, quoniam concessit eis: quam dissipauerunt se ipsi, qui tantum malum flagitauerunt.* Vide supra cap. 11. quaest. 4. num. 27. 28. & 29. & tom. 3. cap. 27. quaest. 9. num. 53.

QUESTIO XII.

Quare Dominus potius lupum commemorat, quam leonem, vel vrsus, cum ab his omnibus oues pericula patiantur?

87.

**I**N presenti de mercenario ait Christus Dominus: *Vidit lupum venientem, & dimittit eum, & fugit.* Cur solum lupos Dominus expressit, Sylueira in Euang. Tom. IV.

cum non solum à lupis, sed etiam à leonibus, & vrsis periculum ouibus imminet. Sic dicebat Dauid: *Veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, & eruebam de ore eorum*, 1. Regum 17. num. 34. Similem quaestionem excitauit tom. 3. cap. 8. quaest. 4. Vide ibi dicta.

Ratio difficultatis. 1. Reg. 17.

Respondeo. Primò ad quaestionem: quod Dominus posuit vnam speciem pro toto genere, per lupum omne periculi genus intelligit. Secundò posuit Dominus id, quod valde communiter accidit, vt oues à lupis insidiantur. Tertiò, quia lupus est valde crudelis, vorax & infestus ouibus, & idè ad multam comparationis elegantiam posuit potius lupos, quam leones.

88.

Lupus multum crudelis, & vorax.

Quartò. Quia vt ait D. Ambrosius in cap. 10. Luc. *Lupi bestia sunt, quæ insidiantur ouibus, circa pastorales versantur casus, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam, aut desidiã pastorem explorant.* Leones, & vrsi aperto impetu oues inuadunt, at lupi callide, & insidiosè, absentiam, aut desidiã pastorem explorant; & crudelior, ac durior hostis insidiosus, quam apertus, & manifestus; & idè lupos, vt crudeliores, ac magis timendos expressit Dominus.

89. Ambros.

Inimicus insidiosus crudelior quam apertus.

Quintò. D. Augustinus tractat. 46. in Ioannem: *Ecce, ait, lupus guttur ouis apprehendit, diabolus fidei adulterium persuasit.* Quod etiam ait D. Ambrosius proximè citatus: *Lupi ouium guttur inuadunt, vt cito strangulent.* Sub hoc typo lupi ouem inuadentis intendit Dominus explicare summum malum, quod diabolus in anima fidei perpetratur, ad hoc adsumit lupi typum ouem inuadentis. Lupus inter cætera animantia hoc habet, vt ouis guttur primum apprehendat, ne ei gemere, aut signum suæ miseræ edere permittat; sic & diabolus cum maximum malum parat homini, guttur inuadit, vt vocem adimat, ne confiteatur peccata sua, aut in confessione loquatur, & gemat, vt salutem assequatur, & tenuiscat.

90. August.

Ambros.

Diabolus maxime inuenit inuadente fidelem à confessione.

Ananias, & Sapphira agrum vendiderunt, cuius pretij partem absconderunt, aliam ad Petri pedes deferentes. Tunc Ananias ait Petrus: *Ananias: Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venditum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo rem hanc? Nonne es mentitus hominibus sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Actor 5. n. 3.

91.

Actor 5.

Valde mirabilis est huiusmodi historiae series, quod Petrus, qui ter Magistrum negauit Ananias, qui semel de pretio agri aliquid denegauit, irremissibiliter duram mortis penam infligat? Nonne Petre tu Magistrum denegasti, & misericordiam es assecutus? Cur ergo misericordiam non concedis huic aliquid de pretio agri defraudanti? Petrus oculis Domini excitatus lachrymis, ac gemitibus confessus est suum peccatum. Ac Ananias Satana in corde eius dominante, ac illius vocem suffocante nullum verbum, nec confessionis, nec penitentiae edidit. Inde Petrus ex Domini aspectu habens confessionem misericordiam impetrat, à qua Ananias Satana os eius claudente reiectus manet. D. Basil. Magn. ferm. 1. de Institut. Monach. *Ananias, ait, aduersum se indignationem Dei prouocauit, cuius Petrus minister fuit, vt nec ad penitentiam aditum inuenire potuerit.* Cum enim Satanas clauderet os eius, inde aditus ad penitentiam exclusus est ab eo.

Sancti muniti si os claudatur ad confessionem.

D. Basil.



92. Ecclef. 10. Septuag. Deut. 18. Psalm. 33. Dan. 7. Maximum diaboli mali impedire confessionem. Hugo.


Ait Sapiens Ecclesiastes 10. num. 11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahitis. Quae verba sic transferunt Septuaginta, Si mordeat serpens in non susurro: non est amplius incantanti. Serpens diabolum significat, sicut & incantator. Deuter. 18. num. 11. 2. Paral. 33. num. 6. Daniel. 5. num. 11. Quid est, quod si diabolus mordeat in silentio absque susurro, nihil amplius est ei, quo valeat hominem incantare, sibi que detinere, & ad se trahere? si ita diabolus hominem mordet, ac vulnerat, vt Dei silentium imponat, ne peccata sua confiteatur, amplius nihil habet, quo maius nocumentum ei inferat, eumque magis valeat suis beneficiis, ac venenosis artibus incantare, ac consopire, & circumseptum, ac deuitum tenere; ex tali enim silentio omnia mala in hominem conuolant. Cardinalis Hugo: Nomine serpentis, ait, diabolus accipitur: qui in silentio mordet, cum eius suggestione occulta quis peccata sua celat: nec vult confiteri.

Ioan. 10. n. 14. Ego sum pastor bonus: & cognosco oues meas: & cognoscunt me mea.

VERSIONES.

Pagnin. Vatab. Ego sum pastor ille bonus. Arias. Ego sum pastor ille pulcher. Syriacus. Agnosco meas, & agnoscor a meis. Arabicus. Et cognosco oues meas, quas pasco. S. Epiphanius. Oves enim mea cognoscunt me.

EXPOSITIO VII.

93. Homo ingratus, vt de beneficiis recordetur.  O sum pastor bonus. Repetit Dominus id, quod supra dixerat se esse bonum pastorem; tam ingratus est homo ad beneficia Dei in se collata memoria retinenda, vt necesse sit multoties repetere. Probat Dominus se esse bonum pastorem, tum ex opposita mercenarij parabola, tum etiam ex conditionibus boni pastoris. Nam mercenarius fugit, quia mercenarius est, & ad eum non pertinet de ouibus, nec de illis habet curam. Arias, Ego sum pastor bonus, & ita ad me pertinet de ouibus, ac de illis curam ago, & cognosco oues meas, & cognoscor ab eis, pro illis que animam meam pono, vt ait sequenti versu, quae sunt conditiones boni pastoris.

94. Ego sum pastor, a pascendo dicitur, & ita Christus est pastor, vt non solum pascuis, sed etiam semetipso, suaeque carne, ac sanguine nos pascat. Bonus. Arias, Pulcher, cuius decore, ac pulchritudine animae inflammantur. Cognosco oues meas. Quod licet praecipue de praedestinati intelligatur, vt voluit D. Augustinus, Beda, Carthusianus & alij. Tamen non de illis solis verba Christi sunt accipienda, sed etiam ad omnes fideles extendenda, qui cum sint in Ecclesia, in Christi ouili sunt. Cognoscit autem, vt notat D. Cyrillus lib. 7. in Ioannem. cap. 6. non solum suae diuinitatis, sed etiam suae humanitatis oculis; Christus enim vt homo est pastor Ecclesiae. Haec autem cognitio duo habet; primo, quod sit perfectissima, ac pro-

inde non est eo modo, quo alij pastores solent noscere oues suas, secundum externa signa coloris, ac magnitudinis, sed est valde altissima, vt intima cordis penetret. Secundo, cognitio haec non solum est speculatiua, sed etiam practica; ita enim cognoscit, vt amet, curam habeat de omnibus, eisque multum prouideat, suis donis, & beneficiis eas replens.

95. Et cognoscunt me mea. Oculis fidei, spei, ac charitatis; vt me intime diligant, meumque exemplum sequantur. D. Anselmus, Me cognoscunt, mihi dilecto adherent, nec a me etiam in aduersis separantur. Charitas enim, qua Christus nos amat, inspirat in nobis charitatem, qua ipsum amemus. Alij legunt: Agnoscor a meis. Simon Cassianus lib. 7. cap. 38. Vtrumque, ait, agitur bonitate pastoris, vt cognoscat, & cognoscatur. Duo hic notanda sunt. Primo, quod bis appellat hic Christus oues suas. Agnosco oues meas, & cognoscunt me mea. Sic enim nos diligit Deus, tanquam si non semel tantum, sed multipliciter, multisque titulis creationis, conseruationis, ac redemptionis, & aliorum beneficiorum sui essemus. Quae tamen hic Diuus Chrysostomus homil. 59. Qua gratia nunc quoque cum non accusant, vt supra cap. 8. n. 13. Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Cum se aperte bonum pastorem dixisset. Respondet, quod tam efficaciter Dominus eos refutauit, vt amplius non sint ausi ei idem apponere: alia pro exacta expositione textus. Vide sequentem quaestionem in limine.

QUESTIO XIII.

Quare prius ait Christus, quod ipse cognoscat oues suas, quam quod oues eum cognoscant?

96. In limine huius quaestionis notandum est, vt dixi in expositione, & dicam quaestione sequenti, quod verbum cognoscere, significat hic simul cum cognitione amorem, & affectum voluntatis. Vnde pondera, quod quando Christus Dominus dixit de se; Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Non subdit, quod oues eum cognoscant, diligant, & sequantur, vt modo cum ait: Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me mea. Ac si plus mouerentur oues beneuolis pastoris oculis, quam quocumque alio maiori beneficio animam pro illis ponendi; maxime enim subditi alluciantur beneuolo, ac urbano pastoris affectu.

97. Ad nostram quaestionem ait Christus: Cognosco oues meas, & cognoscunt me mea. Prius ait, quod ipse cognoscat oues suas, quam quod illae eum cognoscant. Ad quod respondet Theophylactus: Vide, ait, quod primus ille nos cognoscit: deinde nos illum, neque aliter potest cognosci Deus, nisi cogniti fuerimus ab illo. Prius Christus suas oues cognoscit, quam oues illum cognoscant; Deum quippe cognoscere nullus potest, nisi prius ipse a Deo cognoscatur cognitione sua practica, & benefica, qua nos excitat, & praeuenit, ac mouet ad sua dona promerenda, ac obtinenda.

98. Ait Regius Vates Psalm. 118. num. 176. Errauit sicut ouis, quae perijt, quare seruum tuum. Valde mirabilis verborum ordo; seruum se dicit & agnoscit, &

Christus nos querat, vt ad eum veniamus, Ambros.

99. Psalm. 69.

A Dei gratia veniunt munera, quae ei offerimus. Marc. Erem.

100. Genes. 24.

Christus nos ducit in domum sui Patris.

Carthus.

101.

& tamen ait. Quare seruum tuum. Quis nunquam vidit, quod Dominus querat seruum, conueniens rerum dispositio est, vt seruum querat Dominum. Tamen ait; quare seruum tuum. Ac si dicat, quia nisi tu Domine me errantem quaesieris gratia tua excitante, ac praeueniente, simul & adiuuante, ego seruus tuus non possum te querere, ad teque accedere, & peruenire. D. Ambros. lib. de bono mortis. cap. vltimo. Sequimur te, Domine, Iesu, sed vt sequamur, accersis, quia sine te nullus ascendit, tu enim via es, veritas, vita, possibilitas, fides, premium: suscipe nos, quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita.

Ait Dauid. Psalm. 67. num. 30. A templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera. Si o Domine munera, quae tibi in oblationem deferuntur, a templo tuo accipiuntur, iam antequam a regibus essent oblata tua erant, si tua, quomodo tibi offeruntur, cum ipsa oblata potius videantur debere fieri ab his, quae erant regibus propria, & a te aliena? tamen ait; a templo tuo tibi offerunt reges munera. A templo tuo, hoc est a corde nostro, in quo Christus suis donis inhabitat, a corde hoc tua gratia, & auxiliis repleto, sumuntur dona, quae tibi offeruntur, quia nisi tu o Domine huiusmodi donis in nos descendas, nihil habet homo ex se, quod tibi tribuat, & largiatur. In Ierusalem: non dixit ab Ierusalem, vt solebant reges munera accipere ad offerendum. Sed ait in Ierusalem, hoc est ad caelestem beatitudinem conducens, & spectans. Marcus Eremita de Baptismo tom. 4. in Bibliotech. Ea quoque de causa, ait, Propheta non dixit: ab Ierusalem in templum tuum offerent tibi reges munera quod verisimile erat, & fieri solebat, sed a templo tuo in Ierusalem, quoniam animus cuiusque, maxime ab occulto cordis suo templo primum sunt honestas, & bonas suggestiones, quae suggeruntur ab inhabitante Christo, quas etiam adducit ad politiam virtutibus plenam, quam Hierusalem nominauit: iterumque per intentionem bonam offert eas ipsi, qui donauit Christo.

Cum Isaac esset egressus in agrum ad meditando, & vidisset a longe Eliezerum venientem simul cum vxore sua Rebecca Venit per agrum in occursum. Genes. 24. num. 65. Ad quid sanctus Adolescens egreditur eis obuiam, vt introducat in domum patris sui, cur potius eos ibi in domo non expectat? Christus Dominus designabatur in Isaac, qui nisi prior nobis occurrat, non possumus ingredi, & intromitti in domum Patris sui, in caelestem scilicet beatitudinem. Ad hoc tendit Carthusianus. Edocia nempe Rebecca qualiter Christus venit per agrum huius mundi in occursum suis electis, vt eos constringeret brachiis charitatis in patibulo crucis, vlnas suas extendit in eorum amplexus, ornauit seminus per virtutem, & dona Spiritus sancti, vt caelesti sponsa presentaretur.

QUESTIO XIV.

Quare Christus Dominus de se expresse testatur, quod sit Bonus Pastor potius cognoscens oues suas, quam eas diligens?

101. Respondeo primo ad quaestionem, quod verbum cognosco significat, vt dixi in expositione cognitionem practicam, ac proinde simul

cum dilectione, beneuolentia, ac prouidentia rerum omnium. Pulchre Rupertus. Cognosco, ait, id est diligo: imò & magnificentius charitatem suam exprimit dicendo, cognosco, quam si dixisset, diligo; hoc enim verbum cum significatione dilectionis simul sonat affectum compassionis, iuxta quod Salomon. Pro. Prouerb. 10. num. 12. Nouit sapiens animas iumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia. Itaque sicut in Psalm. 102. Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Sic & nunc, dum dicit: & cognosco meas. Simul dilectionis, & operosa misericordiae signat affectum. Cum dicit cognosco, non nudam notitiam denotat, sed altam cognitionem, quia nos penetrat, & intuetur, vt etiam suam dilectionem, pietatem, ac misericordiam iuxta nostram indigentiam, & necessitatem impendat, & largiatur.

Secundo. Christus ait in praesenti. Cognosco oues meas; & non ait; diligo oues meas: bis hic explicat suum amorem. Ego sum bonus Pastor, Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et iterum sequenti versu: Ego pono animam meam pro ouibus meis. Non dicit verbis se amare, sed operibus, verus enim amor potius declaratur operibus, quam verbis. Vide supra cap. 6. quaest. 6. num. 45. & 46. & tom. 3. cap. 15. quaest. 27. num. 219. & 220.

Tertio. Non ait Christus, diligo, sed cognosco oues meas: dilectio actum voluntatis est, cognitio vero intellectus actus. Bonus autem Pastor oues respicit, ad easque fertur non voluntatis affectu, sed intellectus dictamine; non enim suas oues dirigit amoris propensione, sed rationis, ac iudicij dispositione. Cum Isaac intendit benedictionem suam conferre Esau, ait Scriptura de eo. Isaac amabat Esau, eo quod de venatione illius vesceretur. Genes. 25. num. 28. Et non dicitur, quod Isaac Iacob dilexerit; cum tamen scriptum sit Malach. 1. num. 2. & ad Rom. 9. num. 13. Dominus dilexit Iacob. Deus amat Iacob, & non Esau. Isaac autem diligit Esau, & non exprimitur eius amor erga Iacob. Isaac diligerat Esau voluntatis affectu, eo quod de venationibus illius vesceretur. At Deus supremo, & alto rationis dictamine rem dirigit, vt Iacob ob sua praestata merita diligeret, non verò Esau in quo turpia facta apparebant. S. Cyrillus Alexandr. lib. 9. in Genes. Irael, ait, nempe, qui & Iacob superna, diuinaque dilectione dignus habitus est, cum legis obseruantiam veluti quendam cibum Deo offerret.

Quarto. Theophylact. Hoc loco, ait, agnosces differentiam pastoris, & mercenarij. Nam mercenarius quidem nescit oues, quod contigit, quia non saepe illas inuisit, nam si saepe inuiseret, cognosceret illas: At pastor, qualis Dominus cognoscit suas oues, quia curam illarum agit: & rursus cognoscitur ab illis, quas visitatione dignatur, propter consuetudinem agnoscentium suum curatorem. Ex hoc loco desumit citatus auctor distinctionem inter mercenarium, & bonum pastorem; nam mercenarius cum non assistat suis ouibus, nec eas visitet, minime eas agnoscit; ac bonus pastor cum praesens sit suis ouibus, frequenterque eas visitet propter consuetudinem intimae suae praesentiae, ac assiduae visitationis fit, vt oues suas cognoscat, vicissimque ab illis cognoscatur. Sicutque suis ouibus valde necessaria est boni praesentiae praesentia.

Videt Ioannes in caelo sedem multae maiestatis, & ait. In medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro. Apocal. 4. num. 6. Grauem difficultatem hic excitat Ansbertus.

Rupertus.

Prouerb. 10.

Psalm. 102.

Christus cognoscit nostra miseriam, vt subueniat.

102.

103.

Bonus pastor ducitur ratione, & non affectu.

Genes. 25. Math. 1. Roman. 9.

Cyrill.

104. Theophyl.

Mercenarius abest a grege, pastor ad est.

105.